$\frac{1}{64}$	
$\frac{1}{128}$	
$\frac{1}{256}$	
$\frac{1}{512}$	
$\frac{1}{1024}$	
$\frac{1}{2048}$	
$\frac{1}{4096}$	
$\frac{1}{8192}$	

Post sinum hunc minimum sic inventum, inveniendus etiam est sinus unius scrupuli primi, id est, $\frac{1}{5400}$ partis de toto quadrante; vel unius centesimæ partis gradus, id est $\frac{1}{9000}$ partis totius quadrantis. Juxta igitur Theorema 2; Ut $\frac{5400}{9000}$ ad 8192, ita quantitas 1 partis hujus divisionis ad quantitatem 1 partis divisionis illius, & per Theorema 1, ita sinus $\frac{1}{8192}$ partis quam habes in Tabella ad sinum $\left\{\begin{matrix}\frac{1}{60}\\1\\100\end{matrix}\right.$ partis unius gradus.


Sinu

Sinu igitur 1 minuti, vel 1 centesimæ partis ita formato, per *Probl.* 1. erue sinum complementi, arcus scilicet 89 gr. $\frac{59}{100}$. Deinde, per *Probl.* 3. exquire sinum 2 min. ejusque cosinum per *Problem.* 1. Et ex his invenies sinum summæ 2 m. & 1 m. id est 3 min. per *Probl.* 3. ejusque rursus cosinum per *Probl.* 1. Ex sinu autem & cosinu 2 m. sive ex sinibus & cosinibus 3m. & 1 m. investigabis sinum 4m, per *Probl.* 3. & sinum complementi per *Probl.* 1. Item ex sinibus & cosinibus 2 m. & 3 m. vel 4 m. & 1 m. invenies sinum & cosinum 5 m. per *Probl.* 3 & 1 &c. usque ad $\frac{60}{100}$ vel 1 gradum. Ex sinu etiam gradus unius poteris eisdem mediis reperire omnes sinus 90 graduum integrorum: & ex prius inventis sinibus & cosinibus minutorum 60' singulorum, facile erit per *Probl.* 3. adhibito etiam *Probl.* 4. quando è re fuerit, eruere singulorum omnium minutorum interspersorum sinus singulos.

Tangentium & *Secantium* deductio è Tabulis *Sinuum.*

Tangentes formantur sic.

Ut A C *cosinus, ad* C B *sinum; ita* A E *radius, ad* E D *Tangentem.*



Secantes autem sic.

Ut A C *cosinus, ad* A B *radium; ita* A E *radius, ad* A D *Secantem.*

Hoc modo integri Canones Tangentium & Secantium è sinuum Canone eliciuntur.


Compendia calculi prætermittimus omnia, Canones enim de novo condere non aggredimur; quandoquidem præstantissimorum Artificum pertinaci studio & labore hoc fasce liberamur. Nostro sufficit instituto si Syntaxeos ratio qualiscunque tantummodo intelligatur, & veritas numerorum in Canonem ingestorum: quod Propositiones suprapositæ abundè comprobant.

FINIS.

Demonstratio Quadrantis HOROMETRICI.

Quandoquidem visum est Viro Erudito D. Francisco à Schooten, Leydensi, *in Academia* Lugduno-Batava *Matheseos Professori, quadrantem Horometricum ab Authore nostro ante plures annos excogitatum; anno autem* 1638 Anglico *sermone impressum non solum laudare, sed praxeos veritatem ingeniosa demonstratione munire Sect.* Miscellan. *pag.* 510. *Placuit nobis Authoris ipsius demonstrationem qualem inter adversaria reperimus hic etiam subnectere.*

SIt radius A B vel A C: B C Horarum linea (in quadrante) artificialitèr divisa per filum *c* A, *b* A, *a* A, *y* A, *x* A, in punctis *l k i h g*: & ducantur *l* W, *k* V, *i* T, *h* S, *g* R, parallelæ ad B A. Sit porrò A D sinus 30 *gr.* respectu radii A *B*, & agatur recta *C* D E, quæ quidem dividet unamquamque rectarum parallelarum *g* R, *h* S, &c. in partes similes *B* D, D A; adeoque, Ut A *B* radius ad A D sinum 30 *gr.* ita R *g*, ad R *m*, & ita S *h*, ad S *n*, &c. Erunt ergo, Ut W *l* radius, ad W *q* sinum 30 *grad.* ita W *l* tangens 15 *gr.* ad W *q* tangentem anguli 1 A 12. & sic in horis reliquis.



Porrò autem in nostro Quadrante recta *C* D ponitur semper sub eadem longitudine cum *C B*, perindè ac si radio *C B* describeretur semiquadrans *B* E Z, & vice C D usurpatur

C E, pro C A etiam ponitur C G. Utcunque tamen triangulo E G C, & D A C sunt similia, & quoniam E C divisa sit in partes easdem cum partibus *B C*, dividetur etiam in partes similes iis quas continet recta D C; atque adeò idem opus absolvet. Linea igitur nostra latitudinum tota est A B, partes verò non sunt sinus A D, &c. sed G E, &c. vel *A* F, &c. designatæ per rectam C *D* protensam in E circumferentiam, ut C E sit æqualis *C B*. Inquiruntur autem hoc modo. Summæ quadratorum radii *C A*, & sinus *A D*, radix erit *C D*; Ut verò *C D* ad *D A*, ita *C E* = *C B* ad rectam E G, quæ inscribenda est lineæ latitudinum *A B* ad F; & *A* F erit pro latitudine 30 *gr.* Exempli gratiâ. Quadratum *A D* est 250000000000000, quadratum *AC* est —1000000000000000, summa quadratorum 1250000000000000, cujus radix est *C D* recta — 11180340. At verò, Ut *C D* 11180340, ad *D A* 5000000; ita *C B* vel *C E* 14142136, ad E G vel A F 6324555. Tanta igitur est recta A F respondens 30 *grad.* in linea latitudinum. Et sic de partibus reliquis. Vel, Ut *C A* radius 100000, ad *A D* sinum 30 *gr.* 50000: ita *C A* radius, ad *A D* tangentem anguli *A C D* 26 *gr.* 33′ 54″. Hoc est, sinus *A D* ingestus in canonem Tangentium, dat arcum 26 *gr.* 33′ 54″, cujus sinus est 4472128; Atque posito radio *C B* = *C E* = *C Z*, *A B* est sinus 45 *gr.* 7071068, ideò rursus augendus est sinus 4472128, hâc ratione; Ut sinus 45 *grad.* 7071068 ad radium 100000 (vel; Ut rad. 10000000 ad secantem 45 *gr.* 14142136) ita 4472128 ad 6324544, quæ est longitudo rectæ E G, vel *A F*, ferè ut suprà. Superior autem operatio produxit paulò accurationem. Hæc autem inquisitio usui abundè satisfaciet.




Hoc præterea non omittendum. *C B* est linea Horarum quadrantis, & *A B* est linea latitudinum. Duo igitur, si circulus in posteriori parte describatur super *C B*, æqualis nempè diametri cum linea horarum, chordæ quadrantis 90 sinum in circulo, erunt eædem cum partibus 90, lineæ latitudinum. Nam (exempli gratiâ) ad *A B* radium, sit

sit A D sinus 30 *grad.* C D O E secabit circulum in O; peripheriam Z B, in E; & efficiet tum E G (vel F A) 30 *gr.* in linea latit. (quod suprà probatur) tam A O 30 *gr.* in quadrante circuli A O B. At chorda A O, æquatur rectæ E G. Nam <, O P A, & O C A sunt equales, quod sunt in peripheria ad P & C, & insistunt eidem arcui O A. Prætereà, P *A*, & *C* B vel *C* E sunt æquales; & *P* O *A*, *C* G E, sunt < recti. Ergo (cum *P* O *A*. *C* G E, sunt similia, vel æquiangula, latera homologa) E G, *A* O sunt æqualia. Quod probandum erat.

Demonstratio faciei posterioris Horometrici Quadrantis, adeoque Instrumenti totius Circularis.

Theorema 1. *Si à diameter, diametrum circuli secet, erunt segmenta diametri proportionalia tangentibus arcuum oppositorum diametri segmentis conterminorum.*

SIt à diameter B E secans diametrum C A in D, dico primò, Ut segmentum C D ad D A, ita tang. arcus C B ad tang. E A. Notandum autem totum circulum hic dividi tantummodò in 180 *gr.* semicirculum in 90. quia de arcubus hic agitur prout angulos in peripheria obeunt, quorum sunt tantum subdupli.




Demonstrat. Fiat enim A G parallela ad adiametrum B E, & ducantur A B, C B G. Primum igitur quia C B A est rectus (in semicirculo quippe) erunt C B & B G tangentes angulorum C *A B*, *B A* G respectu radii *A B*, id est arcuum C *B*, & *B* F = E *A* quia uterque B F, E *A* includitur inter parallelas *B* E, G *A*. Deinde quia B E & G *A* sunt parallelæ, erit Ut C D segmentum, ad D *A* segmentum, ita recta *B* C tang. arcus B C, ad rectam B G tangentem arcus B F = E *A*. Dico secundò: Ut C D ad *D A*, ita tangens arcus C E, ad tangentem arcus oppositi *A B*, quod sic facile evincitur. Quia C B & B *A*, item C E, E *A*, sunt sibi invicem complementa, quorum tangentes sunt reciprocè proportionalia. Quare tangens C B ad

ad tang. E *A* est in eadem ratione qua cotang. E *A* (id est tang. C *E*) ad cotang. C B (id est tang. B A,) ergo & tangentes C *E*, B A, sunt ut C D, D A.

Aliò modo sic evinco, Fiat D H perpendicularis ad B A, ac proinde parallela ad C B. Si D H sit radius, erunt H B, H A, tangentes angulorum *B* D H, H D A, id est arcuum C E, *B A*. C D. D A :: B H tangent. *B* D H = C B D = C *E*. H *A* tang. H D *A* = B C A = B A. Nam *B* D H est complementum D *B* H vel arcus E *A*, cujus complementum est etiam arcus C E; item D A H vel C B arcus est complementum A D H vel B A arcus, ergo A D *H* & B A æquantur. Et quia C B & B H sunt parallelæ, ergo C *D*. D A :: B H tang. C E. H A tang. B A. Rursus per dimissionem perpendiculi D K. Ut C *D*. *D* A :: C K tang. C D K = C A B = C *B*. K B tang. K D *B* = D *B* H = E A.

Theorema II. *Si inter duas parallelas duæ rectæ ducantur se mutuò secantes, segmenta unius erunt proportionalia segmentis alterius, si similiter utrobique capiantur.*



INter parallelas *BD*, E C, ducantur *BC*, *E* F, se mutuò secantes in H, dico segmenta C H, H *B*, esse proportionalia segmentis E H, H F. Ratio est. Quia triangula *E* H C, F H *B*; sunt æquiangula, propter æquales ad verticem H, & alternos æquales H C E, H *B* F; item H E C, H F *B*, alternos nempè inter parallelas B D, *E* C. Quapropter Ut C H, ad H *E*; ita H B, ad H F: & alternatim, Ut C H, ad H B; ita H E, ad *H* F.

Theorema II. *Si quadrati, diagonio intersecti, latus unum infinitè continuetur; & ab angulo utrique appositò, in continuatum recta ducatur, secans & continuatum & diagonium; erunt segmenta diagonii ut radius ad perpendiculum inter segmentum continuati, & diagonum: vel ut quadrati latus ad segmentum continuati diagonio conterminum.*

Demon-

Demonſt. SIt quadrati E *B* D C diagonium *B* C (prolongatum ſi opus fuerit)& latus *B* D infinite continuatum, & ab E angulo utrique oppoſito ducatur recta $\left\{\begin{matrix}E\ F\\E\ M\end{matrix}\right.$ ſecans continuatum in $\left\{\begin{matrix}F\\M\end{matrix}\right.$ diagonium autem in $\left\{\begin{matrix}H\\O\end{matrix}\right.$ dico ſegmenta diagonii $\left\{\begin{matrix}C\ H\\C\ O\end{matrix}\right.$ & $\left\{\begin{matrix}H\ B\\O\ B\end{matrix}\right.$ ita eſſe inter ſe, ut eſt E A radius quadrati, ad $\left\{\begin{matrix}S\ F=A\ G\\N\ M=A\ K\end{matrix}\right.$ perpendiculum inter ſegmentum ad $\left\{\begin{matrix}F\\M\end{matrix}\right.$ & diagonium *B C*. Nam (per 2 præcedens) $\left\{\begin{matrix}C\ H\\C\ O\end{matrix}\right.$ eſt ad $\left\{\begin{matrix}H\ B\\O\ B\end{matrix}\right.$ ut $\left\{\begin{matrix}E\ H\\E\ O\end{matrix}\right.$ ad $\left\{\begin{matrix}H\ F\\O\ M\end{matrix}\right.$ vel ut E A ad $\left\{\begin{matrix}A\ G=S\ F\\A\ K=N\ M\end{matrix}\right.$ Quod erat probandum.

Pars poſterior ſic cogitur. Quia, Ut *E* A, ad $\left\{\begin{matrix}A\ G\\A\ K,\end{matrix}\right.$ vel, Ut D A ad $\left\{\begin{matrix}A\ G\\A\ K=N\ M\end{matrix}\right.$ ita D B latus quadrati, ad $\left\{\begin{matrix}B\ F\\B\ M.\end{matrix}\right.$

Corollar. 1. Hinc ſequitur. Si latus continuatum dividatur in partes quaſcunque (ſive æquales, ſive radices quadratas ſive ſolidas, tangentes, ſinuſve rectos, vel verſos) erit diagonium etiam in partes ejuſdem nominis ſectum atque tali modo, ut ſegmenta ſe ſemper habebunt ut latus quadrati ad partes continuato lateri inſcriptas, ſive ut radius quadrati ad longitudinem perpendiculi cujuſque prædicti, ſi ſegmenta ſumantur prout inter ſe reſpondeant. Cauſa manifeſta eſt è ſuperioribus.

Notetur etiam (ſi cui bono) *H B* eſſe medium proportionale inter *H* F & *H* I. Nam ut *C H* ad *H E*, ita *H* I ad *H B*, per 3 *Eucl.* &, Ut *C H* ad *H* E; ita *H B* ad *H* F, ergo Ut *H* I ad *H B*; ita *H B* ad *H* F.

Corollar. 2. Hinc etiam. Si quadrato circumſcribatur circulus, partes cujuſcunque nominis projiciuntur à latere quadrati continuato in peripheriam; atque eo etiam modo, ita ut tangens quadrantis ſive radius ad tangentes partium

inscriptarum eandem semper servabit rationem quam tenet latus quadrati ad segmenta continuati lateris, sive radius ad partes inscriptas.

Demonstr. SIt enim F pars in latere quadrati, inscripta in circuli punctum *I*. Erit (per 1) Ut C *H* ad *H B*, hoc est (per 2) Ut radius E B ad partem inscriptam B F, vel sicut radius D A ad rectam A G; ita tangens quadrantis *E C*, hoc est radius ruršum, ad tangentem arcus *B I*, cujus tangens erit ideo æqualis A G rectæ.

Modus inserendi. Ex his apparet modus inserendi partes omnis generis, *viz.* Sinuum, Tangentium, partium æqualium, radium quadratum, cubicarum, sinuum versorum, &c.

In Peripheria sic agendum est :

Omnes numeri cujuscunque generis ut B F, B D, B M, &c. ingesti in canonem tangentium dabunt arcus B I, B D, B L, &c. æquales pro tangentibus, in æquales pro numeris quibuscunque reliquis.

In diametro, sic :

Ut E B radius, & B F simul additi, ad B F partem radio additam; vel, Ut E G composita ex E A radio, & A G parte quacunque ad eandem rectam A G; ita diameter B C, ad segmentum B H.

Patet hinc, Partes non inseri ultrà quadrantem in circulo, ultrà radium in diametro, si modò intrà radium sive 100000 se contineant, quales sunt numerorum seu partium æqualium, Sinuum rectorum, Semisinuum versorum, Superficierum, Solidorum &c. At vero partes rectarum infinitarum quales sunt tangentes & secantes per totum omninò semicirculum, totamque adeò diametrum diffundi: partes ruršum ad duplum radii extensas, occupare $\frac{2}{3}$ diametri, peripheriæ autem semicircularis paulò plus duabus tertiis. Hinc ruršum, Quia est Ut tangens ad radium, ita radius ad cotangentem, perinde erit si dicas; Ut B H tangens ad H C radium, vel, Ut B H radius ad H C cotangentem; Nam segmenta diametri B H & H C representant tangentes angulorum B E I, I E C, qui se mutuò complent.

Theor. 4. *Ubicunque punctum suscipiatur in diametro, segmenta sunt ut radius ad partes numero affixo denotatas; Vel contra, Ut partes ad radium, hoc est, Ut radius ad partes complementarias (ut ita dicam.)*

Ergo


Ergo perinde est sive dicam, Ut radius ad partes, sive, Ut partes complementariæ ad radium. Analogicè dictum, juxta Theorema, Ut radius ad tangentem, sive Ut tangens ad radium. Hinc autem operandi methodus eluceſcet.

Modus operandi in istiusmodi lineis potest esse varius, est tamen unicus nobis & simplex. Fundatur autem in proportione Theor. 1. Quia segmenta diametri sunt ut ejus contermini arcus oppositi. *Modus operandi.*

PROPOSITIO.

Filo suprà planiciem circuli tenso, erunt radius, duo arcus, & segmentum diametri ab unà quâcunque parte, quatuor proportionales.

Demonstr. HÆc Propositio est omnium operationum basis. Dico, Ut radius ad P *B*, ita B *I* ad B *H*. Vel, Ut radius ad P N, ita *N I* ad *N H*. Quia enim est, Ut tangens *P N* ad radium *E N*, ita tangens *I B*, ad segmentum *B H*, per Theor. 1. Et ut tangens *P N* ad radium E N, ita radius E N ad tangentem complementi P B; per Compend. Trigonometr. Erit ergo, Ut radius ad *P B*, ita *B I* ad *B H*. Eademque ratione, Ut radius ad *P B*, ita *B* Q ad B S, & ita B R ad B T. Quapropter etiam, filo ab ima parte ad punctum aliquod peripheriæ fixo, ab altera parte per peripheriam oppositam diametrumque moto.



Erunt arcus omnes cum segmentis diametri, proportionalis.

Demonstr. NAm sunt omnes, Ut radius ad *P B*, per præcedens. Ergo, Ut *B I* ad *B H*, ita B Q ad B S, & ita B R ad B T, &c. Vel contrà, Ut *P* B ad radium, ita *B H* ad *B I*, ita B S ad B Q, ita B T ad B R, &c.

Corollar.

Corollar. E tribus igitur terminis datis, filum per duos priores (quorum alter in peripheria alter autem in diametro numerandus eſt) debito peripheriæ loco figendum eſt; hinc autem à parte alterâ ſi moveatur in terminum tertium ſuper eâdem circuli parte cum primo numeratum, exhibebit quartum in eadem circuli parte quæ ſuſceptus erat terminus ſecundus. Demonſtratio hujus facilè reſultabit ex ſuperioribus.

Poterit etiam operatio inſtitui juxta mentem Theorematis primi: Eam autem hic repetere non erit operæ-pretium.

Notandum etiam eſt: Quamvis propriè latet myſterium operationis in Tangentibus, diffunditur tamen in partes aliarum denominationum, & puta Sinuum, Superficierum, &c. Quod quidem fit applicatione harum partium ad Tangentes quæ longitudines earum emetiuntur: quemadmodum in ſectore, operationes propriè pertinent ad lineas Æqualium partium, exindè verò derivantur in lineas ſuperficierum & ſolidarum, quia harum ſcalarum partes ex æqualibus partibus ſunt excerptæ, adeoque ſub eodem operis modo cadunt.

Quæ hic obſcurè & ἀμεθόδως tradita ſunt, ſpero ſecundâ ſub recognitione planiùs & limatiùs proditura. Nam quæ exaſciata ſolummodò hic ſunt, erunt olim meditationibus maturioribus dedolata.

FINIS.

EPITOME
ARISTARCHI SAMII
De Magnitudinibus, & Distantiis trium Corporum,
SOLIS, LUNÆ, & TERRÆ.

POSITIONES I.

LUnam à Sole lumen accipere. *II.* Terram puncti ac Centri, habere rationem ad Sphæram Lunæ. *III.* Cum Lunæ apparet nobis dimidiata vergere in visum nostrum Circulum maximum qui Lunæ opacum, & splendidum determinat. *IV.* Eodem dichotomiæ momento Lunam à Sole distare minus quadrante, parte ejusdem trigesima, vel 3 gradibus distat, ergo 87 *gr.* circiter. *V.* Umbræ latitudinem esse duarum Lunarum (id est 4 *gr.* per positionem sequentem.) *VI.* Lunam subtendere $\frac{1}{15}$ signi, id est 2 *gr.* De hâc positione vide *Archimedem*, in libro de Numero Arenæ, ubi diameter Solis (ex *Aristarcho*) decernitur esse $\frac{1}{720}$ pars circuli, idest $\frac{1}{60}$ signi, & sic *Aristarchum* allegat. *Keplerus* Epitom. pag. 476.

Pappus

Pappus libro 6 Mathematicar. Collectionum pag. 136. ait, positiones 1, 3, 4 ferè, cum *Hipparchi*, & *Ptolomei* positionibus consentire reliquas autem 2, 5, & 6 discrepare.

PROPOSITIO. VII.

Distantia Solis à Terra est $19\frac{11}{100}$ *pla. distantiæ Lunæ à Terra.*




ANgulus enim STL est 87 *gr.* per *Propos.* 4. & L rectus, ergo si TL sit radius, erit TS secans *gr.* 87 (sc.) $19\frac{11}{100}$ ferè.

PROPOSITIO. VIII.

APparentes diametri Solis & Lunæ sunt æquales, quia Sol totus in Eclipsi centrali deficit, at sine morâ etiam quod observationes confirmant.

PROPOSITIO. IX.

Solis igitur diameter vera est $19.\frac{11}{100}$ *pla. diametri Lunæ.*



DIametri enim sub eodem angulo apparentes erunt ut earundem distantiæ. Ut enim *u i* 1 ad *u a* $19\frac{11}{100}$: ita *i o* ad *a e*.

PROPOSITIO. X.

SOl ad Lunam est ferè, Ut 6979 ad 1. Sunt enim, Ut cubi $19\frac{11}{100}$ & *i*, id est, Ut 6979 ad 1.

PRO-

PROPOSITIO. XI.


Diameter Lunæ est $\frac{7}{200}^{ma}$ distantiæ Lunæ à Terrâ circiter.

Diameter enim apparens Lunæ est 2 *gr.* per *Posit.* 6. at subtensa 2 *gr.* est ad radium, Ut 35 ad 100 ferè, hoc est, ut 7 ad 200.

PRROPOSITIO. XV.

Solis diameter ad diametrum Terræ est, ut 382 *ad* 57.

Quoniam enim diameter Lunæ, L C æquat. dimidium diametri umbræ (per *Posit.* 5.) auferatur E A diameter Lunæ, ex *S* A semidiametro *S*olis 9.$\frac{555}{1000}$, restabit *S* E, 8.$\frac{555}{1000}$, & quoniam *S* T est 19.$\frac{11}{100}$ quarum T L est 1 erit *S* L 20.$\frac{11}{100}$, & T L 1. Quapropter Ut *S* L 20.$\frac{11}{100}$ ad T L 1 : :



ita *S* E 8.$\frac{555}{1000}$ ad T G 0.$\frac{4554}{10000}$, adeoque diameter 2.$\frac{85}{100}$ qualium diameter *S*olis est 19.$\frac{11}{100}$. At vero 19.$\frac{11}{100}$ sunt ad 2.$\frac{85}{100}$ prout 382, ad 56.$\frac{97}{100}$, id est 57 ferè.

PROPOSITIO. XVI.

Sol ad Terram est, Ut 55742968 cubus diametri suæ, ad 185193 cubum diametri Terræ, id est, Ut 301 ad 1.

PROPOSITIO. XVII.

Diameter Terræ ad diametrum Lunæ est, Ut 57 ad 20. Nam qualium *S*olis diameter est 19.$\frac{11}{100}$ talium Lunæ est 1 per *Propos.* 9. & qualium idem *S*ol est 19.$\frac{11}{100}$, talium Terra est 2.$\frac{85}{100}$ per *Propos.* 15. Ergo in eisdem partibus Terræ & Lunæ semidiametri sunt, Ut 2.$\frac{85}{100}$ vel 2.$\frac{17}{20}$ ad 1, hoc est, ut 57 ad 20.

PRO-

PROPOSITIO. XVIII.

TErra ad Lunam est, Ut 185193, ad 8000, id est ferè $23.\frac{1}{15}$ pla. sunt etenim, Ut diametrorum cubi, at diametrorum $\{\frac{57}{20}$ cubi sunt $\{\frac{185193}{8000}$ quorum proportio est $23.\frac{1}{15}$ plani circiter. Ergo

Propositiones hasce nostro modo demonstravimus ex Thesibus *Aristarchi*, beneficio Canonum, Sin. Tang. & Secantium, qui quidem Canones Authoris tempore non erant in usu. Unde etiam & terminos quantitatum præcisè (ex datis) figere non potuit, sed inter binos plerunque statuere coactus est. Ingeniosissime tamen demonstrat & istas, & istis subservientes quas (cum usui nobis non sunt) in hac Epitome omisi. Vixit inter *Pithagoram*, & *Archimedem* 280 annis ante *Christum*. Hunc librum *Schickardus* non vidit.

FINIS.

LEMMATA ARCHIMEDIS,

APUD

GRÆCOS & LATINOS

jam pridem desiderata,

E VETUSTO CODICE *M. S.*

ARABICO.

à JOHANNE GRAVIO

TRADUCTA;

Et nunc primùm

CUM ARABUM SCHOLIIS PUBLICATA.

Revisa & pluribus mendis repurgata

à SAMUELE FOSTER.

LONDINI,

Ex Officina LEYBOURNIANA.

M. DC. LIX.

LEMMATA
ARCHIMEDIS,

Ex traductione *Thebit Ibn Coræ :* cum Commentariis Excellentis Viri, *Abi Alhonìn Alì*, filii *Almed Alnaſwæi.*

Propoſitiones Quindecim ſunt.

IN hoc Opuſculo *Archimedis*, demonſtrationes (inquit Vir Excellens [*Alhonìn*]) elegantes ſunt; ſi numerum ſpectes, paucæ, ſin uſum, multæ : eæque in *Elementis Geometriæ*, ſummam & utilitatem & voluptatem pariunt. Hæ, à *Neotericis* reponuntur, inter *Motawaſetât* (hoc eſt, media opera) quorum lectio, neceſſariò, inter *Euclidem* & μεγάλην Σύνταξιν *Ptolemæi* requiritur. Quædam autem demonſtrationes, quæ hic collocantur, aliis opus habent, ut probentur. Et in harum nonnullis, *Archimedis* demonſtrationes citat, quas in reliquis ſuis operibus adhibuit. Inquit enim; quemadmodum demonſtravimus in Figuris Rectangulis, & quemadmodum demonſtravimus in Libro generali de Triangulis, & quemadmodum demonſtratum eſt in Figuris Quadrilateris. In quintâ etiam Propoſitione, peculiari modo demonſtrationem inſtituit. Poſt eum, *Abu Sohal Alkouhi* Librum edidit, eumque appellavit *Ornamentum libri Lemmatum Archimedis*, atque hanc (quintam) Propoſitionem cum Corollariis ipſius, de Compoſitione proportionis, generalius & melius probavit.

Quæ quidem cum ita à me reperta eſſent, loca hujus Opuſculi obſcura, Commentariis, in modum Appendicis, illuſtravi, ſecundum viam communem *Alhawaſi*, eaque, ad quæ ab *Archimede* refertur, demonſtrationibus, ſi quid judico, propriis

propriis confirmavi. Duas insuper demonstrationes ex *Abi Sohal* excerpsi, quæ quintæ propositioni necessariæ sunt, reliquas vero omisi, ne nimis essem prolixus. In Deo est auxilium & fiducia mea.

PROPOSITIO I.

Fig. 1. *Si duo Circuli se mutuò, tangant (e. g. circuli* a h b, g h d, *in puncto* h) *sintque diametri, eorum parallelæ (v. d. diametri* a b, g d) *& conjungantur duo puncta,* b d, (&) d h, *erit linea,* b h, *recta.*

SInt duo centra H *r*, & describamus lineam inter H *r*, & producamus (eam) ad *h*, & ducamus *d t* parallelam H *r*. Quoniam ergo *t r* est æqualis *d* H, quæ est æqualis *h* H, erunt *r t*, *h* H, æquales, & remanebunt ex *r b*, *h r* æqualibus, H *r* [*t b*] hoc est *d t* & *t b*, æquales; & propterea duo anguli *t d b*, *t b d*, erunt æquales. Et quoniam duo anguli *h* H *d*, *h r b* (&) præterea duo anguli *b* H *d*, *d t b*, sunt æquales, reliqui duo anguli H *h d*, H *d h*, æquales, æquantur duobus angulis *t d b*, *t b d*, æqualibus; Ergo angulus *h d* H est æqualis angulo *d b r*, accipiamus angulum communem H *d b*, ergo duo anguli H *d b*, *r b d*, erunt æquales duobus rectis, qui sunt æquales duobus angulis H *d b*, H *d h*, ergo hi duo etiam erunt æquales duobus rectis, ergo *h d b* linea (erit) recta. Et hoc est quod volumus.

SCHOLIUM.

" Inquit Vir Excellens (*Alhoîn,*) dici etiam potest, quod " quoniam duo anguli *t d b*, *t b d*, sunt æquales, & angulus " *d t b* rectus, angulus *b d t* erit dimidium recti, & propterea " angulus *h d* H (dimidium recti) & angulus H *d t* rectus, ergo " tres anguli sunt duo recti, linea ergo *h d b* erit recta. Simi- " liter dico si fuerint duo circuli se mutuò extrà tangentes.

PROPOSITIO II.

Fig. 2. *Sit* a b g *dimidium circuli,* & d a, b d, *tangentes,* & b h *perpendicularis super* a g, *si conjungamus* g, d, *erit* b r *æqualis* r h.

Demonstratio. JUngamus *g*, *b*, eamque (lineam) ducamus in directum; & producamus *a d* donec occurrat alteri in H, & jungamus *a*, *b*. Quoniam angulus *a b g* est in Semicirculo,

Semicirculo, ergo est rectus, & reliquus *a b* H est rectus, & *d b b a*, est parallelogrammum rectangulum, ergo in triangulo *a b* H rectangulo, ducitur perpendicularis *b d*, à *b* recta super basim, & (lineæ) *b d*, *d a* sunt æquales quia ambæ tangunt circulum, ergo *a d* etiam æqualis est *d* H, quemadmodum demonstravimus in (Libro) de Figuris Rectangulis. Et quoniam in triangulo H *g a*, linea *b h* ducitur parallela basi, & linea *d g* ducitur à media basi, scilicet *d*. Ergo secat perpendicularem in *r*, eritque *b r* æqualis *r h*, & hoc est quod volumus. *Fig.* 2.

SCHOLIUM.

« Inquit Vir Excellens, quod (linea) *a d* sit æqualis *d* H, « probat è Libro suo de Figuris Rectangulis, quoniam duo « anguli *d a b*, *d b a*, sunt æquales, ergo (lineæ) *d b*, *d a*, sunt « æquales, & angulus *d b a*, cum angulo *d b* H (est æqualis) « recto, & propterea angulus *d a b*, cum angulo *a* H *b*, ergo « duo anguli *d* H *b*, *d b* H, necessariò erunt æquales, ergo duo « latera *d b*, *d* H, erunt æqualia.

« Dico, quòd sufficit dicere proportionem *a d* ad *d b* simi- « lem esse proportioni *d b* ad *d* H; & (cum) *d a* æqualis sit « *d b*, ergo *d b* æqualis erit *d* H.

« Inquit, sit *b r* similis *r h*, & quoniam incidit *g d* in lineas « duas *b h*, H *a*, parallelas; in triangulo *g* H *a*, earum sectio « erit secundum eandem rationem. Hoc fit quia proportio « *g d* ad *g r* similis proportioni H *d* ad *b r*, & etiam similis est « proportioni *d a* ad *h r*; Ideoque proportio H *d* ad *b r* si- « milis est proportioni *d a* ad *h r*, & alternè proportio H *d* ad « *d a* (quæ sunt æquales) similis est proportioni *b r* ad *h r*, « ergo hæ duæ etiam sunt sibi invicem æquales.

PROPOSITIO III.

Sit a b g *pars circuli*, & b *punctum quodlibet*, & b d *perpendicularis super* a g, & *ducatur* d h *æqualis* d g, & *arcus* b r *æqualis arcui* b g, & *ducatur* a r, *erit* (a r) *æqualis* a h. *Fig.* 3.

Demonstratio. Ducantur lineæ *g b*, *b r*, *r h*, *h b*, ergo quoniam arcus *b g* æqualis est arcui *b r*, erit *g b* æqualis *b r*, & quoniam *g d* æqualis est *h d*, & duo anguli ad *d* recti, & *b d* communis, ergo *g b* æqualis est *b h*, ergo *b r*, *b h*;

Fig. 3. *b h*, æquales sunt, & duo anguli *b r h*, *b h r*, sunt æquales. Et quoniam quadrilaterum *a r b g* est in circulo, erit angulus *a r b*, cum angulo *a g b* ei opposito, hoc est cum angulo *b h g* æqualis duobus rectis; & (cum) sit angulus *a h b* cum angulo *b h g* æqualis duobus rectis, ergo duo anguli *a r b*, *a h b*, sunt æquales, et reliqui duo anguli *a r h*, *a h r*, sunt æquales, ergo *a h* est æqualis *a r*, Et hoc est quod volumus.

PROPOSITIO IV.

Fig. 4. *(Sit)* a b g *semicirculus*, *& statuantur super* a g *diametro, duo semicirculi, unus eorum* a d, *alter* d g, *&* b d *perpendicularis, figura inde orta ab* Archimede *appellatur* ARBELUS, *& hæc superficies continetur ab arcu semicirculi majoris, & à duobus arcubus semicirculorum minorum, & est æqualis circulo cujus diameter est* d b.

Demonstratio. QUoniam linea *d b* proportionalis est duabus lineis *d a*, *d g*, & media inter illas, ergo erit planum *a d* in *d g* æquale quadrato *d b*; et addatur *a d* in *d g*, cum duobus quadratis *a d*, *d g*, hoc est quadratum *a g* æquatur duplici quadrato *d b*, et duobus quadratis *a d*, *d g*, et proportio circulorum est ut proportio quadratorum (è diametris) ergo circulus cujus diameter *a g*, æquatur duplici circulo, cujus diameter *d b*, et duobus circulis quorum duæ diametri *a d*, *d g*, et semicirculus *a g* est æqualis circulo, cujus diameter est *d b*; et duobus semicirculis *a d*, *d g*, auferantur semicirculi *a d*, *d g*, communes, remanet figura quam comprehendunt semicirculi *a b g*, *a d*, *d g*, estque figura, quæ ab *Archimede* appellatur ARBELUS, æqualis circulo cujus diameter est *d b*. Et hoc est quod volumus.

PROPOSITIO V.

Fig. 5. *Si sit in semicirculo (linea)* a b, *& sumatur in diametro ipsius punctum quodlibet, & constituantur super diametrum duo semicirculi super (lineas)* a g, g b, *& ducatur à* g *perpendicularis* g d, *super* a b, *& ex utróque latere ipsius describantur duo circuli tangentes eam, & tangentes semicirculos, erunt duo circuli sibi invicem æquales.*

Demonstratio. SIt unus è duobus circulis tangens *g d* in *r*, & semicirculum *a b* in H, & semicirculum *a g* in *k*, et ducamus diametrum *r h*, ergo *r h* est parallela diametro

diametro *a b*, eò quòd duo anguli *b r g*, *a g d*, ſunt recti, et jungamus H *b*, *b a*, ergo linea, *a b* eſt recta, per 1 Prop. (hujus Libri) et concurrant *a* H, *g r*, in *d*, quia ambæ ducuntur ab *a*, *g*, (angulis) minoribus duobus rectis. Jungamus etiam H *r*, *r b*, (linea) H *b* per 1 Prop. eſt recta, et eſt perpendicularis ſuper *a d*, quia angulus *a* H *b*, eſt rectus, quia cadit in ſemicirculum *a b*. Et jungamus *b k*, *k g*, (linea) *b g* etiam eſt recta. Et jungamus *r k*, *k a*, (linea) *r a* etiam eſt recta, et producamus eam ad *l*, et jungamus *b l*, et hæc etiam eſt perpendicularis ſuper *a l*, et jungamus *d l*, et quoniam *a d*, *a b*, ſunt (lineæ) rectæ, et ducitur à *d a* ad lineam *a b* perpendicularis *d g*, et à *b* ad *d a* perpendicularis *b* H, ergo ſe interſecant in *r*. Ducatur *a r* ad *l*, et ſit perpendicularis ſuper *b l*, erunt *b l*, *l d*, duæ rectæ, quemadmodum demonſtravimus in propoſitionibus quas adhibuimus in explicatione Libri de Triangulis rectangulis, et quoniam duo anguli *a k g*, *a l b*, ſunt duo recti, ergo *b d*, *g k*, ſunt duæ parallelæ, et proportio *a d* ad *d b* (quæ eſt ſimilis proportioni *a g* ad *b r*) ſimilis eſt proportioni *a b* ad *b g*, ergo planum *a g* in *g b* eſt equale plano *a b* in *b r*. Eodem modo demonſtratur in circulo *t m n*, quod planum *a g* in *g b* eſt æquale plano *a b* in diametrum ipſius, & indè demonſtratur, quod duæ diametri *r* H *k*, *t m n*, ſunt æquales, ergo duo circuli ſunt æquales. Et hoc eſt quod volumus. *Fig.* 5.

SCHOLIUM.

"Inquit Vir Excellens (*Alhonîn.*) Id ad quod (*Archi-*
"*medes*) refert in explicatione triangulorum rectorum de-
"monſtratur ex præcedenti, eaque eſt proportio in Elementis
"utiliſſima, & præcipuè in triangulis acutis. Opus autem
"habet ſextâ Propoſitione hujus Libri. Ea autem hæc eſt.
"In triangulo *a b g*, ducantur duæ perpendiculares, *b h*, *g d*, *Fig.* 6.
"ſe mutuò ſecantes in *r*, & jungatur *a r*, & ducatur ad H, erit
"perpendicularis ſuper *b g*, jungamus *d h*, & erunt duo anguli
"*d a r*, *d h r*, ſibi invicem æquales. Quoniam circulus qui
"comprehendit triangulum *a d r*, tranſit per punctum *h*, quia
"angulus *a h r* eſt rectus, & ſunt in eodem arcu, et etiam
"angulus *d h b* æqualis eſt angulo *d g b*, quoniam circulus qui
"continet triangulum *b d g* tranſit etiam per punctum *h*,
"ergo in triangulis *a b* H, *g b d*, duo anguli *b a* H, *b g d*, ſunt
"æquales, et angulus *b* eſt communis, ergo angulus *a* H *b*
æqualis

Fig. 6. "æqualis est angulo *g d b* recto, ergo *a* H, est perpendicularis "super *b g*.

Fig. 7. "His præmissis, describamus in figurâ ab *Archimede* allata, "duas lineas *d a*, *a b*, & perpendiculares *d g*, *b* H, *a r l*, *b l*, & "lineam *d l*. Dico, si *b l d* non sit linea recta, jungatur *b s d* "recta, erit angulus *b s a* rectus, per præcedentem Proposi- "tionem prædictam, & angulus *b l a* erit rectus, ergo interior "(angulus) in triangulo *b l s*, æqualis est exteriori, eique op- "posito, quod est impossibile, ergo linea *b l d* erit recta.

"Deinde adducit duas demonstrationes *Abi Sohal Alkouhi*.

"*Prior earum hæc est.*

Fig. 8. "Si duo semicirculi non fuerint se invicem tangentes, sed "mutuò secantes, & perpendicularis fuerit à loco intersecti- "onis, erit demonstratio ut præcedens.

"Sint semicirculi *a b g*, *a d h*, *r d g*, & duo semicirculi se "intersecent in *d*, & sit *b* H perpendicularis super *a g* erectâ "in H, & circulus *t k l* tangat circulum *a k g* in *k*, & circu- "lum *a l g* in *l*, & perpendicularem in *t*, dico quòd sit æqua- "lis circulo qui fuerit in alterâ parte, quæ est affectio "(quæsita).

"Ducamus *t s* parallelam *a b*, & jungamus *g k*, ergo "transit per *s*, quemadmodum *Archimedes* demonstravit, & "producamus eam donec occurrat perpendiculari H *d b* in *n*, "& jungamus *t g*, ergo transit per *l*, & producamus eam ad "*m*, et jungamus *a m*, *m n*, et hæc est linea recta, et junga- "mus *s r*, ergo transit per *l*, et jungamus *a k*, ergo transit "per *t*, et linea, *a m n* est parallela lineæ *r s*. Et proportio "*g n* ad *n s*, hoc est proportio *g* H ad *t s*, similis est proporti- "oni *g a* ad *a r*, ergo planum *g b* in *a r* est æquale duobus "planis *g a* in *t s*. Et quoniam H *d* perpendicularis, est in "duobus circulis *g l r*, *b d a*, super duas diametros *g r*, *b a*, "erit planum *g* H in H *r* æquale quadrato H *d*, et planum *a* H "in *b* H etiam æquale ei, ergo planum *g* H in H *r* æquale "est plano *a* H in *b* H, & proportio *g* H ad H *a*, similis est "proportioni *b* H ad H *r*. Prætereà similis proportioni *g b*, "ad *r a* reliquum, ergo planum *g* H in *r a* est æquale plano "*g a* in *t s* (quod est) æquale plano H *a* in *g b*; Et si sit cir- "culus in alterâ parte, eodem in etiam modo proprietatem

prædictam

" prædictam demonstramus, quòd planum *g a* in diametrum illius circuli, est æquale plano H *a* in *g h*, ergo manifestum est quòd duæ diametri sint circulorum æqualium. Fig. 8.

Secunda (Demonstratio) hæc est.

" Inquit si duo semicirculi, neque se mutuò tangant, neque secent, sed à se invicem distent, & perpendicularis ducatur è concursu duarum linearum, æqualium, et tangentium duos semicirculos, indè etiam demonstratio constabit.

" Sint semicirculi *a b g*, *a d h*, *r* H *g*, quemadmodum descripsimus, et duæ lineæ *t d*, *t* H, tangentes duos semicirculos in *d*, H, et æquales et concurrentes in *t*, et linea *b t* perpendicularis transiens per punctum *t*, recta super *a g*, et circulus *m s* tangat eam in *m*, et circulus *m s* tangat circulum *a b g* in *k*, et circulum *r l g* in *l*, et ducamus diametrum *m s*, parallelam (lineæ) *a g*, et jungamus *g k*, ergo transit per *s*, et occurrit perpendiculari *t b* in *a*, et jungamus *a k*, ergo transit per *m*, et jungamus *s r*, ergo transit per *l*, et jungamus *g m*, ergo transit per *l*, et ducamus eam ad *n*, et jungamus *a* A, ergo transibit per *n*, et erit parallela *r s*, et erit sicut proportio *g* A ad A *s*, hoc est, proportio *g t* ad *m s*, sic proportio *g a* ad *a r*, et planum *g t* in *a r*, æquale erit plano *g a* in *m s*. Simili modo demonstratur, quod planum *a t* in *h g* est æquale plano *g a* in diametrum circuli, qui fuerit ex alterâ parte. Et quoniam planum *a t* in *t h* æquale est quadrato *t d*, et hoc equale est quadrato *t* H (quod est) æquale quadrato *g t* in *t r*, erit planum *a t* in *t h*, æquale plano *g t* in *t r*, et proportio *a t* ad *g t*, similis est proportioni *t r* ad *t h*, et similis proportioni totius *a r* ad totum *g h*, ergo planum *g t* in *a r*, æquale est plano *a t* in *g h*. Et jam demonstratum est quod *g t* in *a r* æquale est plano *g a* in *m s*, et quòd planum *a t* in *h g* æquale est plano *g a* in diametrum circuli alterius, ergo duæ diametri sunt æquales. Et hoc est quæsitum. Fig. 9.

PROPOSITIO VI.

Fig. 10. *Si sit semicirculo (angulus)* a H b, *& sumatur in diametro ipsius punctum* g. *Sit* a g *ad* g b *in proportione sesquialterâ, & describantur super* a g, g b, *duo semicirculi, & describatur circulus ita inter tres semicirculos, ut tangat eos, & ducatur in eo diameter* d h *parallela diametro* a b, *reperienda est proportio diametri* a b, *ad diametrum* d h.

JUngamus duas lineas *a d*, *d* H, & duas lineas *b h*, H *h*, ergo erunt duæ lineæ *a h*, *b* H, rectæ per primam Prop. Describamus etiam duas lineas *h t a*, *d k b*: demonstratum est quòd hæ duæ etiam rectæ sunt, & prætereà duæ lineæ *g d*, *g h*: jungamus *g s*, *g m*, & *d r*, *h* A, & ducamus eas ad *l n*, ergo, quoniam in triangulo *a d g*, perpendicularis *a t*, & *g s*, etiam perpendicularis, se intersecant in *r*, ergo *d r l* etiam erit perpendicularis, quemadmodùm demonstravimus in explicatione tractatus de Triangulis universis. Et demonstratio ejus est eadem cum præcedente Propositione, & propterea etiam *h n* erit perpendicularis super *b a*, & quoniam duo anguli qui sunt ad *m* & *h*, sunt recti, *g m*, erit parallela (lineæ) *a* H, & propterea *g s* (parallela lineæ) *b h*, ergo erit proportio *a g*, ad *g b*, similis proportioni *a r* ad *r h*. Prætereà similis erit proportioni *a l* ad *l n*, & proportio *b g* ad *g a* similis erit proportioni *b* A ad A *d*. Prætereà similis proportioni *b n* ad *n l*. Est autem *a g* in sesquialterâ ratione *g b*, ergo *a l* est in sesquialterâ ratione *l n*, & *l n* est in sesquialterâ ratione *b n*. Ergo tres lineæ *a l*, *l n*, *n b*, sunt proportionales. Et in quâ quantitate *n b* erit quatuor, in eâ *n l* erit sex, *a l* novem, & *b a* novemdecim. Et quoniam *n l* similis est *d h*, erit proportio *a b* ad *d h* proportio XIX. ad VI. Ergo proportio dicta reperta est.

Si etiam fuerit proportio *a g* ad *g b* diversa ab eâ quam memoravimus, videlicet, proportio sesquitertia, aut sesquiquarta, aut alitèr, demonstratio & methodus (procedendi) similis est præcedenti. Et hoc est quod volumus.

PRO-

PROPOSITIO VII.

Si fuerit circulus circumscribens quadratum, & alter circulus (in quadrato) inscriptus, circulus exterior duplus est circuli interioris. Fig. 11.

SIt circulus *a b b* circumscribens quadratum *a b*, & sit circulus incluſus *g d*, & sit *a b* diameter quadrati (quæ etiam) est diameter circuli exterioris. Ducamus *g d* diametrum circuli incluſi parallelam (lineæ) *a b*. Et quoniam quadratum *a b* duplum est quadrati *a b*, hoc est *g d*, & proportio quadrati diametri circuli, ad quadratum diametri circuli, est sicut circulus ad circulum, ergo circulus *a b*, duplus est circuli *g d*. Et hoc est quod volumus.

SCHOLIUM.

" Inquit Vir Excellens (*Alhonin*) libellum composui de " descriptione Circuli, cujus proportio ad circulum datum " similis foret proportioni datæ: Et eodem modo omnes fi- " guræ rectiliniæ, & diversæ species operationum hujusmodi " figurarum. Ex eo (libello) unam propositionem huc ad- " duxi, quæ conducit explicationi hujus Opusculi, estque " veluti universalis respectu harum Propositionum eas in- " ferens. Et ea hæc est.

" Cupio constituere circulum *e. g.* in quintuplâ propor- " tione circuli.

" Esto circulus cujus diameter *a b*, ei adde quintam ipsius Fig. 12. " partem, sitque ea *b g*. Describatur super *a g* semicirculus " *a d g*, & ducatur perpendicularis *b d*. Quoniam igitur pro- " portio *a b* ad *b g*, similis est proportioni quadrati *a b* ad " quadratum *b d*, erit totus circulus super *b d*, is qui à nobis " quæritur ad solutionem Problematis. Et propterea si pro- " portio circuli super *a b*, aut figura super eâ (lineâ) ad cir- " culum, aut figuram, super *b d* constituatur, secundum con- " structionem hujus figuræ, & ponatur secundum positionem " ipsius, erit sicut *a b* ad *b g*. Et hoc est quod volumus.

PRO-

PROPOSITIO VIII.

Fig. 13. *Si ducatur in circulo linea quælibet* a b *recta, & ponatur* b g *æqualis dimidio diametri circuli, & ducatur linea inter* g *& centrum circuli, hoc est* d, *& ducatur ad* h, *arcus* a h *erit triplus arcus* b r.

DUcamus *b* H parallelam *a b*, & jungamus *d b*, *d* H, quoniam ergo duo anguli *d b* H, *d* H *b*, sunt æquales, erit angulus H *d g* duplus anguli *d b* H. Et quoniam *b d g* est æqualis angulo *b g d*, & angulus *g b* H æqualis angulo *a g b*, erit angulus H *d g* duplus anguli *g d b*, & omnes anguli *b d* H, tripli anguli *b d g*, & arcus *b* H, æqualis arcui *a b*, qui est triplus arcus *b r*. Et hoc est quod volumus.

SCHOLIUM.

Fig. 14. " Inquit Vir Excellens (*Alhonîn.*) Dicit (*Archimedes*) " arcum *b* H esse æqualem arcui *a b*. Hoc quidem fit propter " subtensas parallelas. Sint ergo in circulo *a b g*, subtensæ " *a g*, *b d*, parallelæ, dico quòd duo arcus *a b*, *g d*, sunt æqua- " les. Ducamus *a d*, ergo duo anguli *g a d*, *a d b*, sunt æqua- " les, & propterea erunt duo arcus æquales, & è converso per " similem demonstrationem.

PROPOSITIO IX.

Fig. 15. *Si duæ lineæ* a b, g d, *in circulo se mutuò intersecent in alio loco quàm in centro, & intersectio, fuerit ad rectos angulos, duo arcus* a d, g b, *sunt æquales duobus arcubus* a g, b d.

DUcamus diametrum *b r* parallelam *a b*, ergo intersecat *g d* in duas partes (æquales) in H, & erit *b g* æqualis *b d*; Et quoniam duo arcus *b d r* sunt semicirculus & arcus *b g* æqualis arcui *b a*, cum arcu *a d*, erit arcus *g r* cum arcu *b a* (&) *a d*, æqualis semicirculo, & arcus *b a* æqualis arcui *b r*, ergo arcus *g b* cum arcu *a d*, æqualis (erit) semicirculo, & relinquuntur duo arcus *b g*, *b a*, hoc est arcus *a g*, cum arcu *d b*, ei æquales. Et hoc est quod volumus.

PRO-

PROPOSITIO X.

Si fuerit circulus a b g, *&* d a *tangens circulum, &* d b *interſecans, &* d g *etiam tangens, & ducatur* H h *parallela* d b, *& jungatur* h a, *ſecans* d b *in* r, *& ducatur ab* r *perpendicularis* r h, *ſuper* g h, *erit in medio ipſius* (g h) *in* H. *Fig.* 16.

IUngamus *r g*. Quoniam ergo *d a* eſt tangens,& *a g* ſecans circulum, erit angulus *d a g* æqualis angulo qui fit in ſectione, quæ opponitur ſectioni *a g*,hoc eſt, angulo *a h g*, hic autem eſt æqualis angulo *a r d*, quoniam *g h*, *d b*, ſunt parallelæ, & anguli *d a g*, *a r t*, ſunt æquales, & in duobus triangulis, *d a r*, *a t d*, duo anguli *a r d*, *t a d*, ſunt æquales, & angulus *d* communis,propterea *r d* in *d t* erit æquale quadrato *d a* hoc eſt (erit æquale) quadrato *d g*. Et quoniam proportio *r d* ad *d g*, eſt ſimilis proportioni *g d* ad *d t*, & angulus *d* communis, erunt duo triangula *d r g*, *d g t*, ſibi invicem ſimilia, & angulus *d r g* æquales *d g t*, qui æqualis eſt angulo *d a t*, qui æqualis eſt angulo *a r d*, ergo duo anguli *d r g*, *d r a*, ſunt æquales, & *d r g* æqualis angulo *r g h*, & eſt *d r a* æqualis angulo *a h g*, ergo in triangulo *r h g*, duo anguli *g* & *h* ſunt æquales, et duo anguli (ad) H duo recti, et latus H *r* commune, et propterea *g* H erit æqualis H *h*, ergo *g h* dividitur in duas æquales partes in H. Et hoc eſt quod volumus.

PROPOSITIO XI.

Si in circulo duæ lineæ a b, g d, *ſe interſecent ad angulos rectos in* h, *quòd non ſit in centro,quadrata* a h, b h, h g, h d, *ſimul ſumpta, ſunt æqualia quadrato diametri.* *Fig.* 17.

DEſcribamus diametrum *a r*, et jungamus lineas *a g*, *g r*. Quoniam igitur angulus *b h g* eſt rectus, erit æqualis angulo *a g r*, et angulus *a d g*, æqualis erit angulo *a r g*, quoniam habent eundem arcum *a g*,et relinquuntur ex duobus triangulis *a d h*, *a r g*, duo anguli *g a r*, *d a h*, æquales. Et propterea erunt duo arcus *g r*, *d b* (æquales) hoc eſt, ſubtenſæ eorum æquales, et duo quadrata *d h*, *h b*, æqualia ſunt quadrato *d b*, hoc eſt *g r*, et quadrata *a h*, *h g*,

Fig.17. æqualia sunt quadrato *g a*. Et duo quadrata *g r*, *g a*, æqualia sunt quadrato *r a*, hoc est diametro, ergo quadrata *a h*, *h b*, *g h*, *h d*, simul sumpta, sunt æqualis quadrato diametri. Et hoc est quod volumus.

SCHOLIUM.

" Inquit vir excellens (*Alhonin.*) Etiam hoc modo, qui " facilior est eo quem adducit *Archimedes*, (demonstrari
Fig.18. " potest.) Modus autem iste est, Ut jungamus *a d*, *g b*, *b d*. " Quoniam ergo angulus *b h d* est rectus, erunt anguli *h b d*, " *h db*, quales recto, et duo arcus *a d*, *b g*, æquales semi- " circulo, et subtensæ eorum æquales potentiâ diametro; " sed quadrata *a h*, *h d*. æqualia sunt quadrato *a d*, et qua- " drata *g h*, *h b*, æqualia sunt quadrato *g b*, ergo quadrata " *a h*, *h b*, *g h*, *h d*, æqualia sunt quadrato diametri. Et hoc " est quod volumus.

PROPOSITIO XII.

Fig.19. *Si fuerit semicirculus super diametrum* a b, *& ducantur à* g, *duæ lineæ tangentes in punctis* d, h, *& jungantur* h a, d b, *se intersecantes in* r, *& jungantur* g r, *& producantur ad* H, *erit* g H, *perpendicularis super* a b.

JUngamus *d a*, *h b*. Quoniam ergo angulus *b d a* est rectus, duo anguli *d a b*, *d b a*, reliqui de triangulo *d a b*, erunt æquales recto, & angulus *a h b* est rectus, Et quoniam *g d* tangit circulum, & *d b* intersecat ipsum, ergo angulus *g d b*, æqualis est angulo *d a b*. Et prætereà angulus *g h r*, æqualis est angulo *h b a*, & duo anguli *g h r*, *g d r*, simul sumpti sunt æquales angulo *d r h*. Demonstratum enim est in libro nostro de figuris quadrilateris, quòd si ducantur inter duas lineas æquales, & concurrentes in puncto, nempè inter duas lineas *g d*, (&) *g h*, duæ lineæ se intersecantes, nempè lineæ *d r*, *h r*, & sit angulus quem comprehendunt, scilicèt angulus *r*, æqualis duobus angulis, factis à concurrentibus cum duabus intersecantibus scilicet angulis *h*, *d*, simul, linea exiens à puncto concursus ad punctum intersectionis, nimirùm linea *g r*, æqualis erit cuilibet ex duabus lineis concurrentibus, videlicet *g d* aut *g h*. Quapropter *g r* erit æqualis

g d,

g d, ergo angulus *g r d* est æqualis, hoc est, angulus *g r d* est æqualis *d a* H, sed angulus *g r d*, cum angulo *d r* H, æqualis est duobus rectis, ergo angulus *d a* H, cum angulo *d r* H, æqualis est duobus rectis, & relinquuntur de figurâ quadrilaterâ *a d r* H, duo anguli *a d r*, *a* H *r*, æquales duobus rectis, sed angulus *a d b* rectus est, ergo angulus *a* H *g* est rectus, & *g* H perpendicularis super *a b*. Et hoc est quod volumus. *Fig.19.*

SCHOLIUM.

"Inquit vir excellens (*Alhonin.*) In demonstratione *Fig.20.*
"(*Archimedes*) refert ad figuras quadrilateras: Sint ergo
"duæ lineæ æquales concurrentes *a b*, *a g*, & punctum con-
"cursus *a*, & (sint) duæ lineæ intersecantes *b d*, *d g*, & pun-
"ctum intersectionis *d*, & sit angulus *b d g* æqualis duobus
"angulis *a b d*, *a g d*, & jungamus *a d*, dico igitur quòd e-
"rit æqualis *a b*. Si non, erit aut minor *a b*, aut major eâ.
"Sit major, & abscindamus *a h* æqualem *a b*, & jungamus
"*b h*, *h g*, ergo duo anguli *a b h*, *a h b*, sunt æquales, sed
"angulus *a h b* major est angulo *a d b*, & prætereà angulus
"*a h g* æqualis est angulo *a g h*, qui major est angulo *a d g*, er-
"go omnes anguli *b h g*, hoc est anguli *a b h*, *a g h*, majores
"sunt duobus angulis, *a b d*, *a g d*, (hoc est) pars toto, quod
"absurdum est. Deindè sit *a d* minor *a b*, & faciamus
"*a r*, æqualem *a b*, & jungamus *b r*, *r g*. Demonstratur eo-
"dem modo quo antcà, quòd angulus *b r g*, hoc est, duo an-
"guli *a b r*, *a g r*, minores sunt duobus angulis *a b g*, *a g d*,
"totum parte; qnod absurdum est. Ergo demonstratio
"firma est.

PROPOSITIO XIII.

Si duæ lineæ, a b, g d, *in circulo se intersecent, & sit* a b *diameter ejus extrà* d g, *& ducantur à duobus punctis* a, b, *duæ perpendiculares super* g d, *eæque sint* a r, b h, *abscinduntur à* (g d) *lineæ* g h, d r, *æquales.* *Fig.21.*

IUngamus *r b*, & ab H, atque hoc est centrum, ducamus perpendicularem H *t* super *g d*, & producamus eam ad *k* in *r b*. Quoniam igitur H *t* est perpendicularis, à centro, super *g d*, ergo incidit in medium ipsius in *t*, et quoniam H *t*, *a r*, sunt duæ perpendiculares super eam, ergo sunt parallelæ.

Fig.21. lelæ. Et quoniam *b* H, eſt æqualis H *a*, erit *b k* æqualis *k r*, quia illæ æquantur. Et quoniam *b b* eſt parallela *k t*, erit *b t* æqualis *t r*, et relinquuntur de *t g*, *t d*, æqualibus, *b g*, *r d*, æquales. Et hoc eſt quod volumus.

PROPOSITIO XIV.

Fig.22. *Si* a b *ſit ſemicirculus*, & *ſecentur ab* a b *diametro ejus*, *lineæ æquales* a g, b d, & *deſcribantur ſuper lineas* a g, g d, d b, *ſemicirculi*, & *ſit centrum circulorum* a b, g d, *punctum* h, & *ſit* h r *perpendicularis ſuper* a b, *et ducatur ad* H, *circulus*, *cujus diameter eſt* r H, *erit æqualis areæ quæ comprehenditur à ſemicirculo majori*, *et duobus ſemicirculis interioribus*, *et ſemicirculo medio*, *qui eſt exterior eo*. *Hæc figura ab* Archimede *appellatur*, SALINUS.

